MAVRITIVS

MELODRAMA.

ABB. SALVATORIS MESQVITÆ
LVSITANI.

Concinnatum

A DOMINO FRANCISCO FEDERICIO
Sacræ SS. Laurentij, & Damasi Basilicæ Beneficiato.





ROMÆ,
Ex Typographia Io:Francisci de Buagnis. MDCXCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PERSONAE.

Mauritius Imperator.
Nicander Filius Mauritij.
Phocas Tyrannus.
Adraſtus Conſiliarius Mauritij.
Clearcus Dux Phocæ.

ARGOMENTO DEL MAVRITIO

PARTE PRIMA.



AVRITIO Imperatore d'Oriente, per altro buon Catholico, e valoroſo, meritò l'indignatione Diuina, perche hauendo Chaiano Rè degli Abari fatti ſchiaui molte migliaia di Criſtiani ſudditi di Mauritio, e volendone per riſcatto vna picciolisſima mercede, non volle per auaritia redimerli l'Imperatore, e furono tutti dal barbaro Chaiano vcciſi. Tornato in sè ſteſſo, e facendo aſpra penitenza de' ſuoi peccati, ordinò, che ſi faceſſe oratione per lui, e per la ſua Famiglia, pregando il Signore, che in vita gli mandaſſe la pena de' ſuoi miſ-

 fatti,

fatti; e fù riuelato à San Teodoro Siceota, quale gli haueua predetto l'Imperio, che egli, e la sua Famiglia in questo Mondo hauerebbero perduto l'Imperio, e la vita, come auuenne, che intrudendosi Foca nell'Imperio, Mauritio, sei figliuoli, e la moglie, e due figliuole zitelle barbaramente tolse dal Mondo.

Nella Prima Parte s'introduce Foca, che raccomanda à Clearco suo Capitano, che arresti, e sotto buona custodia tenga Mauritio, & il figliuolo Nicandro; mà intanto Adrasto fedelissimo Consigliere di Mauritio, medita la fuga, e deluso Clearco, per vna bocca sotterranea, che sporge, in mare, monta in vna Naue già quiui apparecchiata con esso Mauritio, e danno le vele à i venti, rallegrandosi dello scampo ottenuto.

PARTE

PARTE SECONDA.



ELLA seconda Parte si rappresenta la tempesta, che subito nel principio del viaggio assalisce Mauritio, & Compagni; indi l'allegrezza, che sentono in vedersi giunti al lido; il quale conosciuto da essi per il medesimo, onde erano poco dianzi partiti, conuerte in amarezza, e pianto la loro gioia. Infuria intanto Foca al primo auuiso della fuga de i Rei, & accusa la fedeltâ di Clearco, il quale finalmente trouatili li presenta à Foca, che ordina siano vccisi. Tutta l'Historia si hà nel Baronio Tom.8. Ann.

Fine dell' Argomento.

PARS

Ph. Ilete cantus: melius armorum fragor
Imbuerat aures, quam quod harmoni-
Lenire ſtuduit. (cum melos
I. Quiſquis armis implicatur
Fides horreat canentes;
Senſus exuit rigentes
Si concentus moliatur.
II. Tubæ ſonitus diſcordes
Sunt concentus prælianti,
Quando dextra fulminanti
Ictus euibrat concordes.
Tuum eſt Clearce Filium, & Patrem ſimul
Seruare ſontes Turris incluſos ſitu,
Ablata donec Capita gemmatum mihi
Stabilire Sertum, nobili Tabo queant.
Cl. O quam ſeuera vertis inſtabilis rotæ
Fortuna curſum!

I. Quicumque naſcitur
Regno fallaci,
Aura fugaci
Infelix naſcitur.

II. Quicumque credit
Regni delicijs,
Prompta conuicijs
Iura concedit.

III. Aulæ ſunt fructus
Spes, & labores,
Quos dat honores
Vertit in luctus.

„Agno-

„ Agnoſco, doleo, lachrymor; & tamen decet
„ Pium Clearcum vt exuam, & Phocam induam

M. Adraſte noſtræ cladis aſſiduus comes
Effare quæſo, meque miſerijs meis
Solare vinctum.

I. Fit quandoque memoria, grau is
Ærumnæ, ſuauis
Amico loquente;
Tuta velut ab Auſtro fremente
Optato quieſcit
In littore Nauis.

II. Dantur otia verbis angori,
Et dulce dolori
Sermone lauamen;
Prompta velut afferre ſolamen
Scit vnda crudeli
Quæſita calori.

A. Cæſar afflictis opem
Præſtare, ſæpè munus Adraſti fuit:
Sed, fateor, heu me! fateor, aſpectu tuo
Vox torpet, hærent pectori curæ graues.

I. Nulla pax, & nulla quies
Tibi datur ò Mortalis!
Improuiſis horret malis
Gaudiorum fauſta dies.

II. Tali ſubditi Regnantes
Stupent legi ſubiacere;
Dum fortunæ præcauere

Motus

Motus nescìunt errantes.

,, Misera Imperantum ratio fortunæ quoque
,, Subiecta ludo! *M.* Adraste quam fidus places!
Sed ecce pœnæ causa præcipua meę
Adest Nicander: cerne quam squallent genæ
Olim venustis Aula quę fuerant rosis.

N. Magnanime Genitor substine, & Natum tuum
Lachrymis onustum corde generoso excipe.

I. Ante Patris obtutus amantis
Dolores,
Horrores
Cessate veloces;
Nec feroces.
In nos vigeant Phocæ rigores
Cruenta
Tormenta
Mortemque minantis.

II. Nostri poterunt Ora Parentis
Sedare
Leuare
Tyrannicos metus;
Immo fletus
Ex luminibus vltro manantes
Fugabit
Vetabit
Imago præsentis.

M. Dulcis Nicander; lætus occurram neci,
Superesse dum te viderim votis meis.

A.I.

A, I. Viuite lęti,
Forſan Adraſti
Viuet ab arte
Cęſar vterque.

II. Senſa Tyranni
Impia Phocę.
Mente ſtudebo
Reddere vana.

Ph. Clearce Claſſis regię primum Caput
Adeſſe coram Cęſare Reos impera.

Cl. Et hoc rogabam Cęſar, hac certam via
Sperent ſalutem.

I. Quam riſere propitiæ ſtellæ
Clearco ſtudenti conſulere Reis;
Deſiderijs impia meis.
Ceſſabunt horrendæ portenta procellæ.

II. Quam delectant imperia Phocæ
Ornata triumphis Auguſtæ virtutis;
Inſperatæ recluſa ſalutis
Videbitur via Cæſarea voce.

Ph. Quid ipſe tecum loqueris, & qualem auguras
Reis ſalutem? *Cl.* Quam Phocæ benignitas
Spondet ſuo conſpectui admittens Reos.
Pietas, Fides, Lex, Ratio ſic fieri iubent:

Ph. „ Sapis mehercle: Ratio, Lex, Pietas, Fides,
„ Priuata bona ſunt; qua placet Reges eant.

I. Excedite,
Recedite,
Et Pietas,
Et Fides:

Abſiſtite,
Deſiſtite,
Et Ratio,
Et Lex.

Tyrannis, & ambitio,
Impietas, Diſcordia
Fidiſſima Mauritio Superbia Vecordi

Blan-

Blandiantur obsequantur.

II. Appareant, Intereant,
Et pareant Dispereant
Mauritius Cum mea
Et Natus Iubet vox.

Immanitas, Perfidia,
Potentia, Sagacitas,
Crudelitas, Procacitas
Proteruitas, Inuidia
Aduentate, properate.

Natale vel si Phoca priuatum tulit,
Tulerit Tyrauni pariter intrepidus notam.

M. Bene est Adraste, sensibus totum tuis
Mauritius animum sponte concedit suum.
Noui recessus intimos, noui locum
Extrema cuius labia raduntur mari.

I. Ponti potius furori
Me committam sæuienti,
Quam triumphis insolenti
Phocæ nimium victori.

II. Mites tamen sterne fluctus
Sæui Rector ò Trydentis;
Nati simul & Parentis
Excepture tristes luctus.

,, Sic est Adraste Regijs Fastigijs
,, Felicitatis Aula quæ fuerant meæ,
Succedit vnda instabilis, & Pinus leuis.

N. Auguste Genitor, cernis vt mitis Deus
Nostræ saluti consulit Adrasto Duce?

I. Ma-

I. Maris obuius ibo procellis
Nec timebo pericula mortis;
Exorabo, miracula ſortis
Pijs eſſe propitia ſtellis.
II. Si vel Pelago dira tempeſtas
Coget Africo vela ſtridere,
Concitata portenta mulcere
Cœli poterit alta poteſtas.
A. Inuicte Princeps tempus eſt nimium breue
Veſtræ quieti; melius agitatum Caput
Curis moleſtis, occupet dulcis ſopor.
Ego deſtinata vela diſponam mari.
I. Quanti caſus humana flagellant
Dum faciiis Reges Fortuna cruentat;
Minus iras in paruos intentat,
Qui rarò crudeles in Aſtra rebellant.
II. Docet Fabula falſa Gygantes
Iam Cœlo propinquos eiectos extemplo,
Vt firmaret elatos exemplo
Præcipiti caſu ruiſſe Regnantes.
Cl. Adraſte quamuis Nuncius durus tibi
Adſit Clearcus, Nuncium vellem tamen
Credas coactum; Phoca Mauritium iubet
Siſti ante ſe, cui Regium claudat latus,
Etiam Nicander. *A.* Maius hoc rebar malum;
Vterque feſſus dextera fulcit caput,
Sed acciebo. *Cl.* Siſte, nec mortem ſtude
Adeſſe celerem, quam breuis differt ſopor.
I. Dormite ſecuræ II. Iam morti maturæ

 Sed

Cęsareę luces,	Vos claudite luces,
Nec menti figuræ	Non vltra visuræ
Prænunciæ mortis.	Deperditæ sortis
Assideant truces.	Participes Duces.
Dormite securæ	Dormite securæ
Cęsareę luces.	Cæsareę luces.

Discit mori, qui proximus dormit neci.
Libens recedam. *A.* Faueat inceptis Deus;
Assurgite ambo, quasue concedit moras
Mitis Clearcus, spernere temeritas foret.

I. Ergo celeres Augusti
Fugam simul intentemus,
Pertinaces deludemus
Phocæ furias iniusti.

II. Et vos superis ab Oris
Cœli Ciues anteite
Mitiores nunc præite
Nostri conscij laboris:

M. N. Vltro sequemur, quo vocat fides tua.
A 2. *A.* Dulces Auræ. *N.* Lenes Zephyri.
M. Euri placidi. *A. N.* Lenius, Leuius
M. Blandius, dulcius.
A 3. Flate maris finibus fluctus arcete seueros.

PARS SECVNDA.

Cl. IAm nocte propera Solis abscedit Iubar,
Et alta Cæli spatia Tauropolos premit.
Curæ quiescunt omnium, at pectus meum
Reddit salutis cura Mauritij anxium.

Adhuc

Adhuc reuinctum nolui, & quod distuli
Nox ipsa differt melius exigua licet.
O nox amica quanta Mauritio fores
Si tardiori flecteres cursum rota.

I. Vmbrę nimis pretiosæ
Sunt formosæ
Vestræ laruæ somnianti;
Et nigranti
Licet vultu rigeatis,
Non turbatis
Vanos inter cor horrores;
Immo dubios errores
Menti vigili fugatis.

II. Spectra tamen concitata
Numquam grata
Sibi Cęsares videbunt;
Nec gaudebunt
Vana monstra contemplari.
Meditari,
Dum cogentur nimis vera:
Iras Phocæ cum seuera
Nescit Rabies cunctari.

Sed ecce vento, & nube glomerantur Poli,
Grauidosque Thetide deplua ostentant sinus.
Nymbosa melius Astra Mauritio fauent,
Quam dum serena: *A.* vergite in dextrum latus.
Et occupate latera borealis plagæ.

Symphonia Tempestatis.

Ch. Iactamur Adraste.
A. Insistite. *Ch.* Perimus
Tempestati Vastæ
Resistere nequimus.
A. Premite Carbasa. *Ch.* Fremunt.
A. Antennas nectite. *Ch.* Gemunt.
A. Dolonem stringite. *Ch.* Volat.
A. Rudentes soluite. *Ch.* Rigent.
A. Studete Puppi. *Ch.* Inflectitur.
A. Clauo. *Ch.* Distenditur.
A. Malo. *Ch.* Disiungitur.
A. Proræ. *Ch.* Extollitur.
A. Rostris. *Ch.* Franguntur.
A. Remis. *Ch.* Resiliunt.
A. Conto. *Ch.* Diffringitur.
A. Anchoræ, *Ch.* Subuertitur. (meis
*A.*Cæsar. *M.* Nicander. *N.* Genitor. *M.*Adraste; *A.* Hoc
Ferale Cœlum fænus auspicijs tulit!
M. Nulla ergo spes salutis afflictis datur?
N. Crescit procella. *A.* Mugiunt Vndæ. *Ch.* Sonant
Venti. *N.* Tonitrua nubila excutiunt. *A.* Polus.
Agitur coacto turbine in furias modo,
Modo in coruscas ardet horrendus trabes.
M. Crudele Fatum! *N.* Iniqua Sors! *M.* Astra impia!
Tentate si quod restat vlterius malum.
N. Gaudete miseros obrui pando Salo.
Maris rabidæ procellæ
Vndas vento glomerate;
Promptus offero paratæ

Pectus

Pectus morti non imbelle
Turbinate
Conturbate
Mare rabidæ procellæ.
Sed parcite, heu me! parcite Parenti meo.
M. Dulcis Nate, pars cordis amantis
Nobilior, tantis
Aſſueſce tormentis;
Mors vbique paratur, ingentis,
Seu Maris ab ira,
Seu Phocæ Regnantis.
N. Licet Ponto ſuperba tempeſtas
Vel Phocæ Poteſtas
Inducant horrores;
Tua crede Nicandro terrores
Mulcebit vbique
Auguſta Maieſtas.
A. Meliora reddat omina afflictis Deus.
En fulgurantis inter aſpectus Poli
Conſpecta Terra eſt; atque terreſtres noti
Littus propinquum denotant. *Ch.* Reuiximus.
A. Gaudete Nautæ. *Ch.* Fruimur optata plaga.
N. I. Ripæ quietæ
Nimis optatæ,
Menti turbatæ
Vos eſtis metæ.
II. Portus amæni
Caute vallati
Vos eſtis Rati
Sinus ſereni.
Concede Nato Genitor amplexus tuo.
M. Ceſſere Ponti denique tumentes minæ,
Patiturque pedibus arena calcari meis.

Properate læti, perque saxorum aggeres
Paruam ruinis obrutam intremus domum.
Amica Rudera
Quæ mihi paruulam
Formatis Casulam:
Venustiora
Nobiliora
Ridetis Vrbium
Longè Fastigia.
Vestro tutamini,
Vestro solamini
Concedo languida
Adhuc vestigia.

A. Heu Cæsar! heù quo sortis infaustæ iocus
Miseros reduxit! Littus ante oculos stetit
Idem Tyrannus Phoca quo furijs riget.
Sors immitis, sors auara,
Dulciora quæ momenta,
Citò mutas in tormenta.
Citò vertis in amara.
Sors immitis, sors amara.

M. Proh Phoca quantum præuales Terra, & Mari,
Elementa dum iurata famulatur tibi!

I. Vos adoro Fatales arenæ
Queis debita factus sum Victima Cœli
Nosco Numen, & nunciæ teli
Imagines atræ non sunt inamænæ.

II. Vos adoro decreta Tonantis
„ Queis statuor meta condigna flagellis;
„ Licet Celo quādoq; rebellis
„ Nunc osculor manus hoc munus amantis.

Cl. Vel somnias, vel ludis; & misero mihi
Magis monendo Cæsarem imprudens noces.

Sed

Sed quis reclusit Regiæ ignotas vias,
Quæ longè ab Arce maxima spectant mare?
Exquirite. Adraste impiè hæc fides tua.
I. Fide Fallitur Clearcus
Fide tamen eiurata;
Tamquam fuga simulata
Sagax Parthi fallit Arcus.
II. Et si gaudeo fugaces
Tamen reduces dolebo;
Sed non facilis fouebo
In Augustum contumaces.
Sum mitis, at sum Cæsari fidus meo.
Nec me videbit Phoca viduatum Reis.
Ph. Properate monstra Tartari,
Et sontium tormentis,
Et Manium lamentis
Phocæ pectus lacerate:
Properate, properate.
Vel Phocę petenti,
Vel Phocæ dolenti
Fugitantes redonate.
Properate, properate.
Erat hic tumultus cordis, hic solum mihi
Blando vetabat membra componi thoro.
Cl. Risere numquam melius auspicijs tuis
Meisque Cæsar Astra, quam rident modo.
Ph. Ingrate Clearce. *Cl.* Mitissime Cæsar.
Ph. Sic studes ferire. *Cl.* Quis cogit sæuire.
A 2. Cæsareum Cor?

Ph. Tu cogiis irari.	*Cl.* Gaudebo vexari.
Ph. Rebelle dũ Phocę	*Cl.* Cæsarea Voce.
Ph. Par fugæ concedis	*Cl.* Dum facilis lædis.
Ph. Ingrate Clearce:	*Cl.* Rigoribus parce.
Ph. Sic ſtudes ferire.	*Cl.* Quis cogit ſæuire ?

A 2. Cæſareum Cor ?

Cl. Difficile quamuis animum ab ira flectere
Magnanime, paucis, Phoca rem faciam breuem:
Noſcis nè vultus,

I. Damna Phoca ſi poteris fidem
Dum ſtudijs pares acquiris effectus,
Scit Clearcus exponere pectus.
Tam rebus aduerſis, quã proſperis idem.

II. Pietate ſi viſcera tamen
Lenita Clearco tenerrima noſti,
Non debueras Cæſaris hoſti
Me credere tanto fuiſſe tutamen.

Abſolue, damna, perime, vel me, vel Reos.

N. Perime Nicandrum Phoca, nè perime Patrem.

M. Viuat Nicander Phoca, Mauritius cadat.

Ph. Vtrumque voti compotem reddam ſui.
„ Natum Parenti, & Filio dabo Patrem:
„ Viuo Parenti Filium extinctum dabo,
„ Natoque cæſo mortuum adiungam Patrem.
„ Diadema ſic mors gemina firmabit meum,
„ Vobiſque faciam iure prudenti ſatis.

Æquabitur ſtellis Quicumque ſuperbus
Attollit, Imperio thoros.
Extollit Et ſubditos choros.

Si

Si premat acerbus,
Iactari,
Turbari
Non timet procellis:

M. Permitte ſaltem, breuiter, vt Nato ſuo
Suprema libet oſcula infelix Pater.
Habes Phoca quod mirere
A te vitam non rogari,
Diſcit mortem præſtolari
Vitæ cœpit quem tædere.
Nec timores meditere.
Pauca poſco ſi momenta,
Vt demulceam tormenta
Proli nimis immaturæ:
Sunt hæc vincula Naturæ,
Sunt Amoris hæc portenta.

Ph. Age ò Clearce ſtirpe cum tota Pater
Caput ante quam Sol exerat lætho occubet.

M. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. *Pſ.* 118.

I. Laruæ Cætus mancipati
Ferte longius aſpectus;
Sat eſt memor meum pectus
In vos ſceleris patrati.

II. Auri fulgidi nitores
Mentis aciem turbaſtis;
Nunc Mauritio paraſtis
Mortis prodigos horrores.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

N. Audi Genitor ſupremas

Nati

Nati voces perituri.
Caput debitum ſecuri
Moras renuit extremas.
II. Corde Genitor Auguſto
Manum Numinis adora;
Vna Phocas nequit hora
Ferro furere non iuſto.
Velum ecce retegit lumina mea ferale;
Valete Socij; Genitor occumbo, vale.
A. O Aula fallax ſemper! ò ſyluæ! ò feræ!
Meliora vobis antra conceſſit Deus.
I. Cl. Tabo fumant Auguſtæ ceruices,
Et tragicas vices
Fortunæ loquuntur:
Faſces habet Fors inuida plures,
Qui tot in ſecures
Repentè vertuntur.
II. Hinc Fortunæ Mortalis ne credas,
Ne faciles prædas
Miniſtres auaræ:
Scit donare, ſcit munus auferre,
Et Orbita Terræ
Coronas rotare.



F I N I S.

Laus Deo, & Beatiſſimæ Virgini Mariæ.